



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

Tria Symbola Catholica feu œcumenica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

# TRIA SYMBO- LA CATHOLICA seu œcumenica.

## *Symbolum Apostolicum.*

**C**REDO IN DEVM: PATREM omnipotentē, Creatorem cœli & terræ. Et in IESVM Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, Natus ex Maria virgine. Passus sub Pontio Pilato. Crucifixus, mortuus & sepultus: descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. In de venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum: Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem: Remissionem peccatorū: Carnis resurrectionem: Et vitam æternam, AMEN.

## *Symbolum Nicenum.*

**C**REDO IN VNUM DEVM, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium.

Et in vnum Dominum IESVM Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum, ante omnia secula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialē Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem, descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria virgine: & Homo factus est: crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pi-

A

lato,

lato, passus & sepultus est: & resurrexit tertia die, secundum scripturas: & ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est in gloria, iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis.

Et in Spiritum sanctum, Dominum & viuiscentem, qui ex Patre Filioq; procedit: qui cum patre & Filio simul adoratur & glorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi, AMEN.

*Symbolum Athanasij contra  
Arrianos scriptum.*

**Q**VICVNQE vult saluus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisq; integrum inuiclatamq; seruauerit, absq; dubio in æternum peribit.

FIDES autem Catholica hæc est, ut vnum Deum in Trinitate: & Trinitatem in unitate veneremur.

Neq; confundentes personas, neq; substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.

Sed Patris & Filij & Spiritus sancti vna est Diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

AEternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.

Sicut

Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed unus  
increatus, & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius,  
omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omni-  
potens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dij: sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spi-  
ritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut singulatim vnamquamq; personam De-  
um ac Dominum confiteri, Christiana veritate com-  
pellimur.

Ita tres Deos, aut tres Dominos dicere, Catholica  
religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed  
genitus.

Spiritus sanctus a Patre & Filio: non factus, nec  
creatus, nec genitus; sed procedens.

Vnus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non  
tres Filii, unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil  
maius aut minus.

Sed totæ tres personæ, coæternæ sibi sunt & coæ-  
quales: Ita, vt per omnia, sicut iam supra dictum est, &  
Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate veneranda sit.

Qui vult ergo saluus esse, ita de Trinitate sentiat.  
Sed necessarium est ad æternam salutem, vt incarna-  
tionem quoq; Domini nostri Iesu Christi, fideliter  
credat.

Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur,  
quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus &  
homo est.

Deus ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia matris, in seculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana a carne subsistens.

Aequalis patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet D E V S & H o m o , non duo tamen, sed unus est Christus. Vnus autem non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in D E V M .

Vnus omnia, non confusione substantiarum, sed unitate personarum.

Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & Homo, unus est Christus.

Qui passus est pro nostra salute: descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad cœlos: sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum, omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.

Et reddituri sunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.



CON-